

De temporum historicorum apud Livium usu.

Inter auctores romanos, qui historiam reipublicae romanae scripserunt, haud immerito T. Livius praestantissimus habetur, qui quamquam fides ac veritas historica non sumnum atque unicum fuit, quod appetebat, tamen ut omnes qui ante et post eum vixerunt rerum romanarum scriptores et operis amplitudine et eleganti genere dicendi superavit, laude illa quam maxime dignus videtur. Multas quidem ob causas his temporibus, in primis propter egregium patriae amorem, in scholis tractatur neque negari potest haud facile alium quandam scriptorem ejus loco supponi posse. Quo magis mirandum est Livium haud ita multis annis ante in scholas nostras receptum fuisse. Nam neque antea neque a Luthero Melanchthonique ejus mentio quaedam fit. Constitutio scholae anni 1559 a Calvino patriae data primum poscit, ut historia romana secundae classi reservetur latineque ex Livio tractetur, cum sermone patro reliquis horis uterentur. Ne clarus ille J. Sturm quidem Livium inter auctores legendos recepit, quippe qui oratori dissimilior quam Caesar et Sallustius sit. A quibusdam, sed perpaucis scriptoribus poscitur ut Livius in schola legatur; tamen fere centum annis post, ex anno 1664 primum testimonium exstat Livium in prima gymnasii (Baireuth) classe legendum esse. Inde Livii commemoratio fit saepius neque facile iterum post centum annos schola inveniatur patriae nostrae, in qua auctor ille non sit tractatus. His demum temporibus viri doctissimi exstiterunt, qui denuo requirunt, ut e schola removeatur, multa ei objicientes in primis Patavinitatem illam. Contra plurimi operam impendunt et in emendandis locis, qui corrupti ad nos pervenerunt, et in exponendo, quae sit Livii ratio scribendi. In his liber ille viri doctissimi, L. Kühnast, qui inscriptus est: Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax, primum tenet locum. Quod hic vir cl. de temporibus historicis atque de usu eorum

apud Livium brevius, ut e natura libri, exposuit, id mihi hoc loco exemplis ex Livio collectis comprobare liceat. Itaque ad id quod mihi proposui transeam.

Pauca quidem in temporum historicorum usu apud Livium solum inveniuntur, quibus ab reliquis scriptoribus latinis discernatur, quorum quidque in suo loco commoretur. Natura enim temporum non potest esse alia in alio scriptore. — Cum, quae narrantur, perfecta sint, perfectum est verum vel primum tempus historicum. Itaque nunc ad

P e r f e c t u m

transeamus.

Duplex est perfecti latini significatio. Nam cum Graeci duobus utuntur temporibus, perfecto et aoristo, Latinis unum tantum est tempus ad significandum id, quod illi duobus exprimunt. Aut enim est perfectum historicum aut perfectum absolutum, quod et ipsum dicitur logicum. Primum enim id indicit, quod ejus qui loquitur ratione habita praeteritum vel nostro id est tempori praesenti oppositum est; hoc est perfectum absolutum. Altera sequitur ex hac significatio. Jam enim respectus temporis praesentis tabescit et sola perfecti ratio appareat, perfectum historicum id est. Apud Livium in singulis paginis capitibusque innumerabilia hujuscemodi perfecta inveniri negari non potest neque, ut exempla afferam opus est.

Contra rarer est usus ille perfecti absoluti, plurime invenitur in orationibus, ubi semper temporis praesentis et ejus qui loquitur respectus habetur. Ita in praefationis §. 5 in verbis: *a conspectu malorum, quae nostra vidit aetas hoc perfectum est logicum.* Vel in Romuli verbis (I, 10, 6): *his regionibus, quae modo metatus sum.* — I, 26, 10 quem modo decoratum vidistis, §. 11 quae paulo ante armatae imperium populo romano pepererunt. 28, 9 ea sancta credere, quae a te violata sunt. (cf. II, 38, 3. III, 4, 9. IV, 3, 3. V, 34, 1. VI, 18, 12. XXXVI, 7, 8 et 16 aliaque hujusmodi exempla).

Jam transeo ad locos, ubi perfecto utitur Livius pro aliis temporibus. Cum in libro Kühnastii supra laudato p. 207—210 quam plurima dicta sint de locis talibus, ubi pro plusquamperfecto legatur perfectum, nihil habeo, quod de hoc perfecti usu adiiciam. Quem ut dicitur, perfecti usum aoristicum Madvigius haud ita saepe inveniri apud Livium affirmit itaque compluribus locis perfectum mutat in plusquamperfectum ut XLI, 8, 6, fatigaverunt in fatigaverant. Et in codicibus ipsis haud raro legitur plusquamperfectum. Haec quidem mutatio facilissima est, difficilior quibusdam locis vel potius explicatio, quo modo ortum sit vitium, ut XXIV, 16, 19 curavit dedicavitque, aut XXXIII, 30, 7 effugere. His locis usus ille perfecti pro plusquamperfecto negari non potest itaque mutatione ulla omnino non opus est.

Contra non omittendus videtur hoc loco usus perfecti, cum ponitur, si hac vul-

gari dicendi ratione uti licet, pro futuro vel pro futuro exacto. Etenim cum actio quae-dam futura etiam pro certo habeatur, ponitur perfectum interdum de ea re, quae futura quidem sed pro certo eventura itaque jam perfecta cogitatur. Conferendus est l. XXI, 43, 2. Si quem animum in alienae fortis exemplo paullo ante habuistis, eundem mox in aestimanda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites. XXI, 44, 9. Si hoc bene fixum omnibus si destinatum in animo est, iterum dicam, vicistis.

Simili modo perfectum ponitur, ubi praesens expectatur, de more quodam, de actione saepius iterata, de sententia communi, valuit enim hoc jam tempore perfecto, ut I, 10, 7 bina postea — parta sunt spolia: adeo rara ejus fortuna decoris fuit. II, 12, 10 nec unus in te hos animos gessi; longus post me ordo est idem petentium. XXXIV, 21, 7 quibus tum institutis locupletior in dies provincia fuit (= facta est). Maxime poëtae perfecto tali sententia utuntur, ut exemplum afferam Horatii, qui scribit epp. I, 2, 48 non domus, non fundus deduxit corpore febres; item Virgilius; etiam apud Tacitum legitur, ut Agr. c. 9. non semper errat fama, aliquando et elegit.

Jam pauca addam de forma perfecti activi et passivi. Sunt verba pauca, quorum tertia persona singularis num sit perfecti an praesentis historici distingui nequit. Utra sit, ex reliquis quae praecedunt vel proxime sequuntur temporibus dijudicandum est. Ita legitur I, 8, 6 perfugit I, 9, 10 discurrit IV, 33, 3 occurrit I, 10, 5 et II, 7, 7 escendit II, 23, 2 accedit I, 14, 2 vertit I, 30, 2 et 3 legit I, 58, 2 et II, 9, 5 venit. — I, 40, 7 et 48, 3 dejicit I, 41, 1 ejecit. Haec quidem est forma perfecti, sed etiam praesentis temporis scriptio de — ejecio exstat. Huc accedit, quod in locis illis praesentia historica leguntur neque causa est, cur ab hoc ad perfectum transeatur.

Perfecti pluralis et infinitivi historici forma eadem est in verbis: movere VIII, 6, 4 videre III, 43, 6 XXI, 33, 3 XXIV, 7, 7 et 30, 2. — invidere XXX, 30. — avertere I, 28, 11 XXI, 55, 11 III, 7, 2 — vertere XXI, 52, 10. 56, 5. XXXIII, 9, 7. — fugere XXV, 24, 5. — incidere III, 5, 10. contendere XXI, 25, 13 et 56, 5. — portendere XXI, 7 fin. — decurrere XXIV, 36, 4. XXVII, 51, 1. XXX, 11, 6. XXXIV, 14, 3. — ruere XXVII, 41, 8. XXXIV, 39, 11. — abnuere XXIX, 5, 7. — arguere XXIX, 19, 3. — statuere XXIII, 18, 9. — Sed utrum sit infinitivus historicus an perfectum, facilius distingui potest ex infinitivi historici apud Livium usu. Hac vero forma perfecti pluralis, quae exit in syllabam ere, Livius item utitur atque altera quae exit in erunt, commutatque eas, ne oratio uno tenore procedat. Nihil interesse inter utramque formam, jam Fabri (XXI, 25, 13) observavit. Contra eum Woelflin (Livianische Textesfrüchte u. Liv. Sprachgebrauch p. 7.) contendit Livium illa forma in-ere exeunte, quia sit minus usitata ideoque solemnior, uti in factis maximi momenti maximeque in pugnarum descriptione affertque

III, 70, 7 fudere, praecipitare, confodere. XXII, 16, 1 complevere, pugnare, cecidere, XXII, 47, 6 impulere, institere, pervenerunt, circumdedere, clausere. — At in permultis reliquis pugnarum descriptionibus maximique momenti rebus gestis non perfecti forma inere, sed exiens in syllabam erunt legitur vel inter se permixtae. — De formis perfecti activi contractis et non contractis plura composuit Hildebrandt (Programm von Dordtum 1865 p. 12).

Multo difficilis est quid in perfecto passivi Livius secutus sit constituere, qua ratione quibusve regulis copula sive addatur sive omittatur. Certe in rebus atque actionibus, quae saepius repetuntur, eodem dicendi modo Livius uti solet, ut exempla probabunt, quae infra afferam; attamen maximum est vitium credere eum hic mutationem non admisisse ideoque quae semel bisve leguntur ad illa magis usitata adaptare. Varietas enim ipsa dicendi scribendique et a veteribus recentioribusque auctoribus ei maxima virtus tribuitur. Ita dicit Quintilianus VIII, 1, 3 in T. Livio mirae facundiae viro. X, 1, 101. Livius cum in narrando mirae jucunditatis clarissimique caudoris tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem; Tacitus in Agricolae c. X: Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimus. Madvigius quamquam id ipsum profitetur, tamen contrarium facit in locum eorum quae raro leguntur vulgarem dicendi formam substituens. — Sic ab Tacito regula observata est copulam in perfecto passivi omitti, cum dubium esse nequit, quin sit verbum, in Livium autem haec regula omnino non quadrat. Neque solum in perfecto et plusquumperfecto passivi a Livio formae copulae esse omitti solent, sed etiam in sententiis hujus modi: I, 41, 1 clamor inde cursusque populi. I, 54, 10 largitiones inde praedaeque V, 10, 6 haec per se gravia XXIV, 3, 2 et arx procul iis qua habitabantur. — Copulam esse Livius praetermittere solet et in sententiis primariis et in sententiis secundariis, quamquam rarius. Madvigius quidem hoc apud Livium fieri negat, tamen loci exstant, in quibus desunt verba est et sunt, non solum ultima, verum etiam media in periodo, ubi errori librarii vix tribuendum videtur. Primis novem libris primae decadis quattuor sunt loci, I, 3, 3 quae — Longa Alba appellata. VI, 42, 9 comitia habita, quibus consul factus VIII, 22, 2 practerquam quod colonia deducta IX, 46, 14 donec — censorēs facti; decimi vero libri adscripti sex locos, qui huc pertinent: 1, 5, 17, 9, 27, 4, 28, 9, 30, 4, 33, 6. Item ex tertia decade hos locos: XXI, 15, 3. XXII, 5, 6, 9, 5, 20, 6. XXV, 6, 7. XXVII, 12, 1, 37, 4. XXIX, 10, 1; ex quarta decade tres: XXXV, 40, 4. XXXIII, 12, 3. XXXVI, 38, 7.

Contra recte Madvigius observavit verbum finitum et perfectum passivi omissa copula est non conjungi, cum pertinent ad unum idemque subjectum. Sunt quidem perpauci tales loci, qui omnes levissima possunt sanari mutatione. Ita scriptum est in

codicibus XXI, 25, 9 praecipitatus multaque cūm clade emersit, quod nunc recte mutatum est in praecipitatur. XXXIII, 28, 8 ait multaque argumentatus est. XXVII, 28, 13 abiit profectusque est XXXI, 21, 4 castra repetivere (et) postero die in aciem progressi. XXXIV, 25, 8 sensit hortatusque est vel hortaturque. Sed Madvigi iterum finem egreditur, copulam est addens, cum perfectum passivi omissio vocabulo est ponatur in apodosi, ut XXXI, 25, 4 cum consultarent, Philippus pollicitus. At si duo sunt subjecta, omitti potest copula est, ut II, 47, 7 consul cadit fusique circa omnes. V, 49, 6 castra capiuntur et ne nuntius quidem cladis relictus. Cum loci inter se conferantur, Livius saepius omisso quam addidisse videtur; at in neutro perfecti passivi impersonaliter adhibito saepius additum invenitur quam omissum. Infinitivus vero esse in accusativo cum infinitivo fere semper omittitur.

Nunc pauca dicam de usu Liviano, cum duo perfecta passivi inter se conjungantur. Livius conjunctione que utens saepius omittere solet copulam quam addere. Ex prima decade tota tantum II, 40, 12 legitur: aedificatum dedicatumque est, cui uni loco sex (I, 52, 5. II, 14, 9, 34, 7; 47, 9. IV, 46, 5; 61, 6. V, 26, 8) obstant omissa copula. In reliquis libris semel et vicies non legitur, duodecies legitur. Contra conjunctionibus et, ac, atque utens tam copulam addit quam omittit. Denique particula disjunctiva aut posita omitti solet copula, semel tantum additur XXV, 1, 4 caesa aut capta est. — De ratione quam Livius secutus sit in omittenda copula hoc pro certo haberi potest. Hoc enim fit, cum enumerantur facta inter sese cohaerentia. Neque cur his omnibus talibusve locis omittatur difficile est intellectu. Etenim jam figura orationis cui nomen est asyndeton, orationem commotam esse indicat. Altera causa est, quod auribus accepta non est repetitio illa quasi perpetua vocabulorum sunt, est. Itaque neque mirandum est, quod hic vel illic invenitur plena perfecti passivi forma. Affero exempla ex primi libri capite 43 descriptionem classium et centuriarum a Servio Tullio confectarum: appellati, imperata, additae, datum, instituta conscriptae imperata, factae mutatum ademptae, factae mutata datum, aucta factae distributi, §. 8 facta est. — XXIV, 44, 1 provinciae atque exercitus divisi, bellum mandatum. §. 4. prorogata imperia, exercitus additi, scribi legiones jussae. — IX, 7, 8 in descriptione luctus post cladem Caudinem: tabernae clausae, justitium coeptum prius quam indictum, anuli positi. — XXXIII, 5 – 10 de divisione provincialium: praetores sortiti. — P. Manlius adjutor datus. prorogatum est. consules jussi permisum. par numerus decretus, legio data. peditum et equites decreti. prorogatum imperium. — Item conferendum est I. XXXVII, caput alterum inde a paragrapho secunda usque ad duodecimam. — Etiam in enumeratione prodigiorum copula omissa est, ut XXV, 7, 7 tacta de caelo multa, vigiles exanimati, §. 8 murus turresque non iactae

modo, sed etiam decussae, saxum visum. Alia exempla quae huc pertinent inveniuntur XXX, 38, 10 et XXXI, 12, 6. — Huc accedit descriptio pugnarum earumque eventus, ubi posita sunt verba occisi, necati, capti vel talia rarius adjecta copula. Regulam eandem Livius secutus est, ubi de magistratibus creatis refert. Verbo creati utitur de censoribus, triumviris, (semel XXIII, 21, 6 facti) consulibus, facti de praetoribus. Paucis, si cum reliquis conferimus locis additam hic invenimus copulam. Multa quidem hujus talisve usus apud Livium exempla proferri possunt, unum tamen silentio praetermittere nequeo. Livius enim, cum quod priore anno actum est comprehendat, sribit aut haec gesta aut res gestae aut haec acta aut haec facta, sed semper copulam omittit. — At si utitur neutro singularis, etiam addere solet copulam, ut XXVIII, 12, 1 nihil gestum est (cf. XL, 53, 4. 36, 8. 59, 8). — Contra secundum regulam, quam secutum esse Livium supra probavi, in sententiis secundariis addi copulam, omnibus locis, quibus verba haec gesta sive acta leguntur in sententia relativa, copula addita est. Ita XXXIX, 36, 12, quae — acta sunt. XXIII, 2, 3 quo res gesta est. XXVIII, 5, 1. 9, 1. XXXVIII, 57, 1. XLIV, 1, 1 qua haec gesta sunt. — XXIX, 35, 1. 36, 4. XXXV, 1, 1 quo haec gesta sunt. XXXVII, 57, 1. XXXVIII, 12, 1 quibus haec gesta sunt. XLI, 25, 8 quo quaeque modo gesta sunt. — Dum modo acta sunt XXXIX, 1, 1. Cum haec gesta sunt. XLV, 34, 10. Itaque initio libri XLIII scribendum est qua haec gesta sunt. — Tribus libri XXIII locis in codicibus Livii invenitur forma perfecti passivi contracta, 18, 7 propositast. 47, 7 proditast. 49, 3 administrast,

Perfectum igitur est primum, ut ita dicam, tempus historicum, quo scriptor utitur, ubi nullo animi affectu commotus facta enarrat. Sed ubi factum quoddam majus ex reliquorum quasi multitudine eminet vel subito necopinatoque incidit, denique ut mutatio orationis existat, pro perfecto praesens aut infinitivus historicus ponitur. Itaque primum ad transeam.

Non historici solum, sed oratores quoque hoc tempore utuntur ad augendam vim orationis gravitatemque. Nam eo quod facta jam multos ante annos perfecta scriptor tempore praesenti refert, ante oculos ipsos nobis ponit efficitque, ut si ita dicere licet ea secum faciamus atque cogitemus. Ita Livius quoque praesenti historico utitur. Conferendus est orator, qui cum oratio fit concitator atque re quadam extraordinaria commota, quae narrat audientium animo tempore praesenti proponit eo quasi clariora futura. Hoc quoque apud Livium fit, qui et ipse oratori similior quam vero historico est. Exemplum quo hoc demonstretur est libri XXIX capite decimo septimo descripta oratio Locrensum. Qui ut scelera Pleminii legati militumque romanorum senatum doceant et

ante oculos quasi ponant, praesenti utuntur tempore historico. Legitur §. 15: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, constuprant matronas; quotidie capitur urbs nostra, quotidie diripitur; dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque, qui rapiuntur atque asportantur, ploratibus sonant. Ad augendam vim praesentium historiorum accedit asyndeton.

Jam liceat mihi usum praesentis historici apud Livium exemplis illustrare. Ut jam supra dixi, invenimus hoc tempus in locis illis, ubi enarrantur facta gravioris momenti, in quibus maxime eminent pugnarum descriptiones. Ita Horatiorum Curiatorumque fratrum inter se pugna, quae narratur I, 24 et 25, quam gravissima erat, quippe qua penderet urbis Romae fortuna. Quomodo proelium paratum foedusque ictum sit, capite vicesimo quarto narratur, capite vicesimo quinto proelium ipsum sequitur. In iis quae sunt minoris momenti praeterque rem ipsam quasi comitantia progrediuntur, plus quam perfecta vel imperfecta posita sunt; quae ad pugnam trigeminorum ipsam pertinent, praesenti historico enarrata sunt. Quae tempora incipiunt paragrapho prima: arma capiunt in medium procedunt. §. 2. Considerat exercitus, quippe imperium agebatur; incenduntur. §. 3. datur signum, terni juvenes concurrunt, nec his aut illis periculum obversatur. §. 4. horror ingens spectantis perstringit, torpebat. §. 5. duo romani corruerunt. §. 6. deseruerat, fuit. §. 7. redit oratio, cum denuo pugna conseritur, ad praesens historicum, capessit. §. 9. clamore Romani adjuvant et ille festinat. §. 10. conficit; supererant, dabat, objicitur. §. 12. defigit, spoliat. §. 13. Romaui Horatium accipiunt, ad sepulturam vertuntur.

Alterum exemplum libri I caput 59 praebet, ubi motus animorum caede Lucretiae excitatorum describitur. Legas §. 2: cultrum deinde Collatino tradit, ut praecepsum erat, jurant, secuntur ducem. §. 3. corpus in forum deferunt concientque miraculo homines, pro se quisque scelus queruntur. §. 4. movet maestitia. §. 5. ferocissimus quisque cum armis voluntarius adest, sequitur et cetera juventus. Romam profecti. §. 6. favorem ac tumultum facit, ubi vident, rentur, nec minorem motum res facit, in formam curritur.

Conferas II, 6 pugnam Romanorum et Tarquinii Superbi expulsi; ejusdem libri c. 12 facinus C. Mucii Scaevolae. Item II, 45 praesentibus historicis quam clarissime denuntiatur ira atque motus castrorum romanorum in bello contra Vejentes Etruscosque suscepto. §. 6: tandem superant externa, frequentes in praetorium convenient, poscunt pugnam, postulant. §. 7. consules capita conferunt, diu conlocuntur. §. 8. redditur responsum, edicunt, crescit ardor, accendunt hostes. §. 10. occursant portis, ingerunt probra, aegre abstinent. §. 11. ad consules curritur, postulant, omnes clamoribus agunt, tergiversantur. §. 14. invocat, jurat, datur signum, arma capiunt, eunt in pugnam.

§. 15. jubent. §. 16. statuunt. — Capite 46 pugnae descriptio incipitur §. 1 instruitur acies nec hostes detrectant. — §. 7 perfectis interjectis sequitur provolant. Cap. 47, 4 Manlius se ipse coram offert, accendunt animos. §. 5. redeunt, proelium renovant. §. 6. accedit invadit. §. 7. nequit cadit. §. 8. crescit audacia; terror agit. §. 9. erumpunt incident. — Paullo post, c. LV, §. 2 consul sistit aciem, ferocius agunt equites, vociferantur, conclamat, subeunt. §. 4. Volscus ingerit et ictibus urget. §. 5. audent et commovent aciem, enituntur et exsuperant iniquitatem loci §. 6. castra capiuntur. Antium petunt. §. 7. deditur. — Multi exstant alii apud Livium hujusmodi loci, ubi praesenti historico enarrat facta gravioris momenti, e quorum multitudine afferam III, 60, 4—11; 61, 7—10. V, 21, ubi expugnatio Vejorum refertur. Item V, 45. VII, 7. IX, 24 et 49. X, 2, 34, 35, 36, 40, 41 de bellis contra Samnites gestis.

Hic praesentis historici usus optime potest cerni in prima Livii decade. Hujus enim maxime est apta materies quippe quae dividatur et constet e permultis factis brevioribus. Quae decas maximum temporis spatium inde ab urbe condita usque ad finem belli Samnitici alterius itaque plus quam quadringentos quinquaginta continet annos. Huc accedit, quod cum Roma ipsa haud magna neque magnis usa sit viribus, ne bella quidem cum finitimis quamvis crebriora diurna fuere. Praeterea in urbe ipsa quae evenere fuerunt referenda. Itaque non mirandum est, quod decas prima in multa facta dividatur, quibus ipsis optimus praesentis historici est locus. Etiam in tertia quartaque decade permulta inveniuntur praesentia historica, sed inter perfecta atque imperfecta tempora immixta, cum in illa praesens historicum quasi primarium videretur esse tempus historicum. Hoc ex materia ipsa deducendum esse jam dixi. Nam tertia decas uno eodemque argumento, bello punico secundo, completur. Quod quamquam maximi esse momenti Livius non ignorabat, ea ipsa grandis et quasi infinita materies etiam linguae quam maxima gravitate referenda fuit. Quod, cum praesentia vel infinitivi historici nimium motam orationem efficiant, solo perfecto, quo quies atque gravitas describitur, potuit fieri. Idemque de quarta et quinta decade dicendum est. Haec est causa, cur in harum decadum libris praesentia historica saepius inter reliqua tempora immixta invenimus. Hoc facile quoque intelligi potest, cum numeros praesentium historicorum inter se conferimus, quae in hoc illove libro leguntur. Ita exstant in libro XLI, qui continet capita duodetriginta, quadraginta quinque praesentia historica; in libro LII viginti trium capitum quindecim praesentia; in l. XLV quadraginta quattuor capitum viginti tria; in libro XXXV quinquaginta et unius capitum sexaginta octo, in l. XXI sexaginta trium capitum centum et viginti praesentia historica.

Contra multo saepius in libris primis decem inveniuntur. Ita adscripsi ex libro

primo, qui continet sexaginta capita, circa centum et octoginta, ex libro nono quadraginta sex capitum circa centum et septuaginta, ex libro decimo quadraginta septem capitum centum nonaginta praesentia historica. Ita ut cognoscatur, quis sit usus praesentis historici apud Livium, praecipue decas prima est inspicienda. Attamen loci sunt quidam in his decadibus, ubi etiam complura praesentia historica inter se conjuncta sunt, ut in oppugnatione Sagunti descripta libri XXI, capite 11. Ibi §. 10 scriptum est: (Poeni) locum editum capiunt, muro circumdant. Saguntini murum ducunt. §. 11 utrimque et muniunt et pugnant; faciunt. §. 12 simul crescit inopia et minuitur spes. — Alia ex his libris sunt: XXII, 28, 7—11, XXV, 16, 15—22; 39, 4—8. XXVII, 28, 1—10. XXVIII, 19, 9—18. XXXIV, 15, 3—8.

Sed praeter haec ipsa exempla quae attuli in hac tertia iisque quae sequuntur decadibus praesens historicum non ut in prima ponitur, ubi magna quaedam gravisque momenti res agitur, sed in levioribus brevioribusque factis. Maxime Livius hoc tempore utitur, ut commutet cum perfecto, solam eam ob causam, ut factum quoddam ex reliquorum numero sejungatur atque urgeatur. Ita XXII, 6, 1 tris ferme horas pugnatum est et ubique atrociter, circa consulem acrior infestiorque pugna est.

Praeterea Livius praesenti historico utitur in factis gravioribus, quae subito necopinatoque incident vel inter se quam minimo temporis spatio interjecto sequuntur. Eluet ex exemplis hujus modi: I, 48, 2. Cum ille ferociter ad haec, — clamor ab utriusque fautoribus oritur. (Da entsteht plötzlich ein Geschrei.) — II, 50, 6. Et cum improvidi insidias superassent palatique raperent pecora, subito ex insidiis consurgitur. — III, 6, 4 repente Hernici nuntiant. IV, 53, 3 repente nuntiatur. IV, 55, 4 nuntii veniunt. IV, 56, 4 fama adfertur. V, 2, 3.

Ut jam supra, cum de perfecto verba facerem, pauca disserui de formis perfecti apud Livium usitatis, sic etiam hic pauca addenda videntur de formis quibusdam praesentis historici. Saepius praesentis quam perfecti forma apud Livium reperitur hujus verbi: petit; et tertia persona singularis fere semper praesentis adhibetur, etiamsi cum perfecto conjunctum est, ut XXXVII, 45, 4 petit impetravitque. Contra saepius invenitur tertia persona pluralis perfecti. Alia sunt exempla verborum dicit, mittit, jubet, negat, quorum omnium etiam perfecta quamquam minus saepe exstant scripta. Saepeissime denique in Livio leguntur praesentia fundit fugatque inter se conjuncta. Copulae esse haud ita multos adscripsi locos, ubi praesenti utitur Livius tumque semper tertia persona singularis, ut IV, 28, 6; 29, 2. V, 45, 3. XXII, 6, 1. XXIV, 1, 6. — Adsunt duobus locis scriptum est, V, 8, 13. XXVIII, 19, 13. — Contra infinitivus historicus, ut hoc statim addam, his locis legitur: III, 14, 5. IV, 9, 5. IX, 7, 9. X, 42, 1.

XXIII, 14, 7. XXIV, 27, 1 et 3; 32, 3, XXVII, 20, 9. XXIX, 9, 12; 31, 10. XXXII, 22, 2. XXXV, 11, 8. XXXIX, 39, 6, XLII, 62, 12. XLV, 5, 9 et 44, 7. — deesse XXII, 50, 6 adesse XXIII, 4, 3. — Jam tertium tempus historicum hic sequatur,

Infinitivus historicus.

Cum perfectum atque praesens historicum sint tempora historicā, quibus quod gestum est narratur, jam infinitivo historico transitus paratur ab his temporib⁹ mere historicis ad tempora quibus describitur status quidam. Quam ob rem nomen quoque infinitivi historici in infinitivi descriptivi grammatici nonnulli probavere. Quodsi quaerimus, quomodo fieri potuerit, ut infinitivus qui neque personae neque modi neque temporis rationem habuerit ita usurpatus sit, viri docti ellipsis statui volunt, ita ut omissum sit vocabulum coepit. At haec potius mihi sola recta explicandi ratio videtur. Actiones describendae tam vehementer tamque celeriter inter se sequentes existunt, ut scriptorem totum capiant, quin temporibus modive rationem habeat, et ut solam actionem solumque factum, quod infinitivo exprimitur, hoc modo narret. Huc accedit studium scriptoris, ut orationem reddat commotam gravemque, id quod brevitate efficitur. Haec vero brevitas eo nititur, quod in verbo non inest ratio subjecti actioque nihil habet, ad quod referatur, neque signum praebet, quoniam sit trabenda. Eam ipsam ob causam quam saepissime in infinitivis historicis asyndeton adhibitum reperitur. Etiam figura orationis quae dicitur anaphora adhibetur, cum alii-alii, vel pars-pars, vel tale quid ad infinitivum additur. Hoc in universum praemisso jam ad Livium ipsum transgrediar.

Tenendum igitur est et hoc ex exemplis allatis elucebit, apud Livium quoque infinitivum historicum tum poni, cum a factorum narratione transeatur ad describendum statum, cuius actiones subito incidere, vel una alteram celerrime sunt secutae. Brevi autem factum est, ut infinitivus historicus solum ad describendum statum adhibeatur itaque pro imperfecto positus sit.

Non raro exstat infinitivus historicus apud Livium, sed si cum Sallustio et Tacito comparamus, haud ita multis locis. In his enim forma vulgarior quam praesens historicum videtur esse. Contra in Livio complures infinitivi historici inter se conjuncti reperiuntur in sola prima decade, in tertia quarta quinta inter reliqua tempora immixti. Quod idem in praesenti historico factum ex materia librorum illorum priorum horumque posteriorum jam supra deduxi.

Huc accedit, quod apud Livium infinitivus historicus tantum in sententiis primariis reperitur, apud Sallustium Tacitumque etiam in secundariis. Tres videntur loci repugnare, at si accuratius inspicias, etiam hi ad regulam illam quadrant. Primum exstat II, 27, 1 Fusis Auruncis victor tot intra paucos dies bellis Romanus promissa consulis fidemque senatus expectabat, cum Appius et insita superbia animo et ut collegae vanam

faceret fidem quam asperime poterat jus de creditis pecuniis dicere. Sed quamquam sententia incipiens particula cum, quae significat rem subito exortam, secundum formam est secundaria, ex sensu est primaria. Plane ejusdem generis alter est locus, qui legitur III, 37, 6 in quo et ipso infinitivus legitur in sententia incipiente particula cum: cum interim mentio comitiorum nulla fieri. Simile de tertio videtur dicendum esse loco; III, 65, 10 legimus seniores contra fratrum, ut nimis feroceſ ſuos credere juvenes eſſe, ita malle, quod eundem habet ſenſum ac ſi dixiſſet et credere et malle.

Jam igitur uſus ille infinitivi historici exemplis ex Livio repetitis illuſtrandus mihi eſt. Optime ille ferocem Tulliae naturam atque inquietam deſcribit libri primi c. 46 hiſ infinitiſ: §. 6 tota in alterum avera Tarquinium mirari, eum virum dicere, ſpernere ſororem. §. 7 ea (femina) ſecretis viri alieni adsuefacta ſermonibus nullis verborum contumeliis parcere, ſe rectius viduam contendere. Item c. 47 §. 1, ubi oratio ad Tulliam redit, animus ejus infinitivo historico deſcribitur: Jam enim a ſcelere ad aliud ſpectare mulier, nec nocte nec interdiu virum conquiescere pati. §. 6 praesentia historica ſequuntur. §. 7 infinitiſ historicis quid agat Tarquinius illa feminae ferocia excitatus narratur: Circumire et prensare minorum maxime gentium patres, admonere paterni beneficii ac gratiam repeteſ, adlicere juvenes, cum pollicendo tum criminibus crescere. Tum ejusdem libri capite 58 legimus Tarquinium ad Lucretiam veniſſe, paragrapho tertia, ut res necopinato facta maximeque acerrimo ejus auimo apta ſignificetur, pergit hoc modo: fateri amorem, orare, miscere precibus minas, uerare.

II, 58, 7 concitatus plebis contra Appium Claudium animus deſcribitur hiſ infinitiſ: ſegniter omnia agere, tardius incedere, omnes motam remittere industria, vultus demittere, praetereuentem exſecrari. §. 9 nihil jam cum militibus agere, corruptum exercitum dicere, tribunos plebeii Volerones dicere. Infinitivum historicum hoc loco pro imperfecto poſitum eſſe optime cognoscitur, quod illa tempora praecedunt paragrapho 6: haec ira exercitum ſtimulabat, nec domari poterat, tantum certamen animis inbiberant. — Per multa de hoc infinitivi historici uſu exempla afferri poſſunt, e quibus haec ſufficient: III, 11, 9; 34, 4. IV, 14, 4. VI, 23, 2. VII, 12, 12. X, 29, 1. XXIII, 4, 2. XXVII, 45, 10. XXX, 11, 6. XXXV, 11, 10. XLI, 20, 3. XLIV, 34, 8.

Sed infinitivi historici non ſolum inter ſe conjunguntur ad deſcribendum ſatum, ſed eam ipsam ob causam, quod id efficiunt, ut oratio magis fiat commota, in apodiſi ponuntur, ut I, 54, 8 irritatis animis, cum ſpiritus plebs ſumpsisset et tres haberet duces, patres omnia quaestoriis comitiis, ubi utrumque plebi liceret, ſimilia fore cernentes tendere ad consulnū comitia. — IV, 42, 3 quem cum quattuor collegae orarent, ne imperatorem vexaret aegre Hortensius pati. — V, 9, 2. VI, 11, 7; 39, 5. IX, 45, 10. XXI, 54, 9. XXII, 30, 7; 40, 7. XXIII, 3, 8. XXVII, 50, 5. XXX, 3, 7; 6, 1. XXXI, 41, 11. XXXIV, 60, 1. XXXV, 31, 1. XXXVIII, 6, 7. XL, 25, 11; 37, 8. XL, 36, 9. — De infinitivo

vero historico contrarium statui potest atque de praesenti historico. Quod cum minus saepe in posterioribus decadibus quam in prima inveniatur, in illo exempla ex tertia, quarta, quinta decade allata superant. — Eam ipsam ob causam, ut motum quandam verborum indicent, etiam per se ponitur infinitivus historicus et cum reliquis temporibus conjunctus. Quod cum saepissime fiat, jam exempla proferre non opus est. Unum tamen commemorem, verborum dicendi et negandi saepissime inveniri infinitivum historicum. Ita legitur infinitivus verbi dicendi his locis: X, 18, 14. (solus ex primis decem libris locus adscriptus) XXII, 42, 4. XXIV, 37, 8. XXVI, 15, 4. XXVII, 37, 6. XXX, 42, 11. XXXIV, 11, 3. XXXV, 12, 7; 36, 7; 49, 2. XXXVII, 10, 9; itemque verbi negandi: II, 56, 11; 59, 4. V, 46, 6. IX, 26, 11; 33, 8. — XXX, 40, 8. XXXII, 38, 4. XXXIII, 12, 5. XXXV, 2, 6; 38, 10; 45, 5. XXXIX, 34, 6; 39, 4. XL; 55, 5.

Cum omnibus temporibus conjunctum esse infinitivum historicum exemplis comprobare necessarium non videtur. E quorum copia afferre tamen pauca mihi liceat, atque primum II, 24, 7 inde ostendare tergum; clamor ingens oritur. §. 11 postulare cu-riamque circumsistunt, ubi infinitivus atque praesens historicum conjunctum est.

Item cum perfecto conjungitur V, 39, 1 et ipsi pavori defixi primum steterunt, deinde insidias vereri. Neque imperfectum deest, ut III, 35, 4 (propior interdum petendo quam gerendo magistratui erat, criminari optimates, extollere candidatorum levissimum quemque), et plusquamperfectum ut V, 19, 3 omnia repente mutaverant; alia spes, for-tuna quoque alia videri.

His omnibus exemplis reliquisque quae apud Livium exstant quae forma iufinitivi historici narrata sunt, ad statum pertinent describendum. Contra praesentia historica, perfecta plusquamperfecta exprimunt id quod statum illum antecessit vel ex eo sequitur, ita ut infinitivus historicus quasi summa sit, cujus partes vel actiones singulae illis temporibus referuntur.

His omnibus exemplis reliquisque quae apud Livium exstant quae forma iufinitivi historici narrata sunt, ad statum pertinent describendum. Contra praesentia historica, perfecta plusquamperfecta exprimunt id quod statum illum antecessit vel ex eo sequitur, ita ut infinitivus historicus quasi summa sit, cujus partes vel actiones singulae illis temporibus referuntur.